Quelle: http://manuscripta.at/?ID=445
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

tus est. Et amplius adhuc manifestum est si secundum similitudinem melchisedech exsurgat alius sacerdos qui non secundum legem mandati carnalis factus est sed secundum virtutem vite insolubilis. Contestatur enim quia tu es sacerdos in eternum secundum ordinem melchisedech. Reprobatio quidem fit precedentis mandati propter infirmitatem eius et inutilitatem. Nichil enim adduxit lex. Introductio vero melioris spei per quam proximamus ad deum. Et quantum est non sine iure iurando. Alii quidem sine iure iurando sacerdotes fiebant hic autem cum iure iurando per eum qui ad illum. Iurauit dominus et non penitebit eum: tu es sacerdos in eternum secundum ordinem melchisedech. Tanto melioris testamenti sponsor factus est iesus. Et alii quidem plures fiebant sacerdotes. ideo quod morte prohibentur permanere: hic autem eo quod maneat in eternum. sempiternum habet sacerdotium. Unde et saluare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad deum: semper viuens ad interpellandum pro nobis. Talis enim decebat ut nobis esset pontifex. sanctus. innocens. impollutus. segregatus a peccatoribus. et excelsior celis factus: qui non habet cotidie necessitatem quemadmodum sacerdotes. prius pro suis delictis hostias offerre. deinde pro populo. Hoc enim fecit semel se offerendo. Lex enim homines constituit sacerdotes infirmitatem habentes. Sermo autem iuris iuramenti qui est post legem filium in eternum perfectum.

Capitulum autem super · VIII · ea quae dicuntur. Talem habemus pontificem qui consedit in dextera sedis magnitudinis in celis. sanctorum minister et tabernaculi vere quod fixit et non homo. Omnis enim pontifex ad offerenda munera et hostias constituitur. Unde necesse est habere hunc aliquid quod offerat. Si ergo esset super terram. nec esset sacerdos. cum sint qui offerant secundum legem munera: qui exemplari et umbre deseruiunt celestium. sicut responsum est moysi cum consummare tabernaculum. Vide inquit omnia facito secundum exemplar quod tibi ostensum est in monte. Nunc autem melius sortitus est ministerium quanto et melioris testamenti mediator est: quod in melioribus repromissionibus sanctum est. Nam si illud primum culpa notaretur: non utique secundum locum inquireretur. Vituperans enim eos dicit. Ecce dies venient dicit dominus. et consummabo super domum israel et super domum iuda testamentum nouum. non secundum testamentum quod dedi patribus eorum in die qua apprehendi manum eorum. ut educerem illos de terra egipti. Quia ipsi non permanserunt in testamento meo: et ego neglexi eos dicit dominus. Quia hoc est testamentum quod disponam domui israel post dies illos dicit dominus. dando leges meas in mente eorum et in cordibus eorum super scribam eas. Et ero eis in deum. et ipsi erunt mihi in populum. Et non docebit unusquisque proximum suum. et unusquisque fratrem suum dicens. cognosce dominum: quia omnes scient me a minore usque ad maiorem eorum. quia propitius ero iniquitatibus eorum. et peccatorum iam non memorabor. Dicendo autem nouum: veterauit prius. Quod autem antiquatur et senescit. prope interitus est. Habuit quidem et prius · IX · iustificationes cultuum et sem

VI deus